ORATIO
DE S. SPIRITVS
ADVENTV

HABITA

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII.

PONT. MAX.

AB ALEXANDRO CAESARINO
Neapolitano Sem. Rom. Conu.

EMINENTISS. PRINCIPI

ALEXANDRO

CARD. CAESARINO

ALEXANDER CÆSARINVS F.

SPLENDIDAM vmbram patrocinij tui, quæ mihi ſemper erit pro Sole, MAGNANIME PRINCEPS ALEXANDER, non denegabis orationi de tua beneuolentia natæ, de tui nominis munifi-

centia perpetuò victuræ. Regales Ecclesiæ nuptias, quæ hìc descriptæ leguntur, vni è Purpuratis eiusdem Reginæ filijs dedicari par fuit. Nemini verò æquiùs quàm tibi, cuius & Pietas, & Nobilitas, ambiguum est plùs honoris accipiat, an refundat in Matrem. Tanti splendoris partem in me quoque felicissimo humanitatis tuæ repercussu deriuatam esse gaudeo; vtque id totum munus debere me tibi profitear, nobile pignus do cælestes Linguas, & tango aram, mediosque Ignes fidelissimi Spiritus. Vale.

ORATIO

EFFVSAM paulò antè fœcundo de vulnere confossi lateris Ecclesiam, sobolem electam, & multum instar paternæ pulchritudinis, & sanctitatis gerentem in vultu, B. P. hodie genitor ipse Diuinus integerrimis nuptijs maritat, ac iungit sibi; vt prærogatiua tàm mira, quàm casta possit à nobis iàm illa consalutari æterni Principis Filia simul, & Sponsa. Hoc planè demonstrant ignes de Cœlo demissi; qui mihi sanè videntur, aut sacrosanctæ veluti faces purissimo connubio ritè, ac faustè prælucere; aut beatum Sponsæ caput super expansis innocentibus flammis cœlesti quasi flammeo splendidè conuelare. Felicitatem eandem

appoſitè declarat ardentium ſpecies diſerta linguarum; hæ ſiquidem linguæ felices nuptias illuſtri prodigio celebrandas longè, latèq; promulgant: hæ diuinum Epithalamium audiente, ac ſonoris plauſibus gratulante Cœlo pronuntiant. Quando igitur nuptialis etiam orationis officium Ignis hic per ſe luculenter præſtat; quid mihi relinquitur aliud, niſi vt hanc ipſam excellentiam recognoſcam, & ſuſpiciam, qua nempè apparatum ferme omnem præclaris nuptijs idoneum, ac neceſſarium ſolæ huius diei beatiſſimæ flammæ ſubminiſtrarunt? Ignem humanis mentibus Diuino Numini coniungendis inſtrumentum in primis accommodatum, & eximium æſtimabit quicumque reuoluet animo, eum inſigne hoc res inter ſe diſſitas copulandi munus iampridem in ampliſſima rerum vniuerſitate ſuſtinere. Siquidem hoc elementum à ſapientiſſimo conditore in ea mundi parte collocatum fuit, in qua velut in illuſtri, iuſtoq. confinio ſuprema illa cœleſtium orbium corpora inferioris naturæ corporibus adnectuntur, & quodammodo maritantur. Vt propterea igneum elementum, ſplendi-

dum

dum mundi vinculum, ac veluti maritalis naturæ nodus appellari meritò possit. Sed si flammæ Cœlum Terræ connectere tam insigniter potuerunt; multò sanè feliciùs, & gloriosiùs homines Deo, Ecclesiam Christo deuinxerunt. Cum igitur primum expetitis nuptijs destinatus dies illuxit; repente delapsus in terras est eloquens, & operosus hic ignis, qui statim Sponsoris munere feliciter functus, vtrinque data sanctissimi coniugij fide, pro calamo flammam vsurpans, radios pro characteribus deducens nuptiales tabulas faustissimè consignauit. Ecce autem, vt insignis nexus firmius insuper adstringatur, editus è Cœlo sonus, tanquàm sponsionis optatissimæ stipulator accedit. Sed fortasse admirabiliùs videatur, quòd idem ignis, qui Sponsoris partes egit, locum etiam obtinet dotis, quam vt offerre possit, Ecclesiæ inopi Sponsæ Christus ipse Sponsus opulentissimus cœlesti de thesauro liberaliter impertit. Quid enim aliud esse credam hunc ignem, quàm aurum illud ignitum, quo locupletari mortales vehementer optat opum omnium domina, & diues ab omni parte Diuinitas? nisi fortè ignis iste non tàm aureus, *Apoc. cap. 3.*

quàm

quàm gemmeus pretiosos pyropos flammarum imitatores egregios Sponsæ detulit; aut in eiusdem Sponsæ mente virtutum gemmas produxit ijs longè clariores, quas in locis igne cœlesti tactis progenerari eximia venustate conspicuas litteris proditum est. Hùc etiam verè, glorioseq; pertinet dotale illud Ecclesiæ regnum latissimè diffusum, cuius argumentum, ac pignus fuisse sacrum hunc ignem multò certiùs dixerim, quàm Vestales flammas imperij sui præclara quædam extitisse pignora, Romana iactet antiquitas. O magnitudinem igneæ dotis planè diuinam, quæ tergeminæ coronæ decus, regnatricis Trinitatis imitamentum illustre, ac principatum æternum Cœlo, Terris, Inferisque ipsis impositum felici nobilissimarum nuptiarum iure comprehendit. O ignem pretiosum, cuius flammæ sceptra sunt, rubor purpuram præfert, radij diadema contexunt, ardor spirat imperium. Iàm verò maritalem annulum amoris indicem, obsidem fidei, ne terreno confectum ex auro, ac fragili gemma distinctum expectes à Virgine Sponso amantissima Virgo. Habeant sibi aliæ Sponsæ aurum, habeant perlu-

Plin. lib. 37. nat. hist. cap. 9.

perlucidos lapillos, digitorum mera pondera, vera vincula. Nimirùm ad tuas manus ornandas ipse quoque hodiernus ignis suapte natura tortuosus splendidum sese contorquebit in annulum, cui signatoriam gemmam auctoritate maxima præcellentem è mari Diuini sanguinis lectam postmodum inseret Piscator fortunatus. Nec oblatus tibi Piscatoria manu pernobilis annulus illudentis, ac succensentis humanæ prosperitatis, vt malo contigit Regi, documentum erit, sed blandientis, & obsecundantis Diuinæ charitatis, vt Sponsam optimam decuit, perpetuum auctoramentum. Quid nuptialis amictus, & ornatus? alio ne, quàm huius ignis pulcherrimo nitore præfulgeat? Imò quia hodie, vt sacra memorant oracula, cœlestis agni nuptiæ aduenerunt, datum est lætissimæ Sponsæ, vt indumento byssino splendenti, & candido, idest, circumfusis vndique verticem ornantis ignis radijs operiretur. At muliebri cultu, ac mundo magnifice ab igne præstito, claues, communicatæ in rem domesticam potestatis insignia, vt Sponsæ tradantur, nuptialis exigit dies. Opportunè ad id quoque peragendum alla-

Val. Max. lib.6. cap.11.

Apoc. c.19.

Brisson. de ritu nuptia.

bitur

bitur Diuinus ignis. His videlicet flammis fusæ, ac fabrefactæ fuerunt à Supremo Mundi Artifice Spiritu claues illæ venerabiles, quibus fidelissima Sponsa cœleste regnum pro arbitrio reserat, & concludit. Quid ni etiam hæ ipsæ flammę pro clauibus Ecclesiæ sint? Neque enim à clauium similitudine multum recedit flammarum species modicis flexibus lucidè turbinata. Quòd si è
Gen.c.3 beatis Cœli mentibus vna terrestris Paradisi custodiæ præposita clauis instar ignem tractauit armatum; cur non cœlesti Paradiso aperiendo, & claudendo destinatæ Pontificiæ manus clauis loco ignem hunc pacificum, & innocentem vsurpent? Quid nunc alios nuptiarum ritus à vetere memoria producam? Quid adhibita sacrificia referam?
Plutar. in quæst.Rom. 1. quid commemorem, ignem, & aquam à Sponsis religiosè tangi solitam? An non ad hæc etiam explenda munera satis idoneæ sunt flammæ hodiè collucentes? hæ inquam flammæ veterum sacrificiorum expultrices, molitrices nouorum; hæ faces naturam non ignis modò, sed etiam aquæ percommodè pręferentes; quippè quæ matutino Diuini Spiritus afflatu rorulentæ hominum

cor-

corda beatiſſimo prodigio inflammant ſimul, ac recreant. Et decuit flammæ, atque aquæ tangendæ ipſa clariſſimi connubij die Diuinam Sponſam aſſueſcere, vt potè quæ in Sponſi cœleſte regnum non niſi medium per ignem, & aquam erat magnanimis laboribus tranſitura. I felix, i tandem roſis flammantibus coronata, Pudore Paranympho, Sanctitate Pronuba, prænitentibus Amoris Diuini tedis, admodulante Spiritus æterni ſono; i Vaticanam in Regiam ſponſa immortalis Regum Regis, imperij conſors, maieſtatis particeps, ſocia dignitatis. Nemo Imperatricem Terrarum appellare te hodierna luce recuſat, dùm tibi delatum à ſempiterno Numine Ignem, honorem verè Auguſtalem, ac ſolùm Imperatoriæ ſponſæ conceſſum intuetur. *Herodia. in Comm.* Quæ verò progenies expectari iure merito poteſt à Sponſo ſanguinis, à Sponſa flammarum? Ea nimirùm, quæ rubicundum religionis nitorem præportet in vultu, luculentum charitatis ardorem nutriat in pectore. Exiſtet, exiſtet è feliciſſimo coniugio proles virtutum diues, honorum capax, laborum appetens, pœnarum victrix,

ignis

ignis auida, ſanguinis prodiga; & niſi degenerare turpiter voluerit, erit ipſa quoque cœleſti Sponſo nubilis, & hæreditaria maritalis ignis felicitate Matri perſimilis.

D I X I.

LAVS DEO.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apost.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Hyacinthus Lupus Magister, & Socius Reuerendissimi P. Fr. Nicolai Riccardi Sacri Palatij Apost. Magistri, Ord. Prædicatorum.

ROMÆ, Typis Francisci Corbelletti.
MDCXXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.